

ANEŽKA VIDMANOVÁ—LADISLAV VIDMAN

Praha

DE URBIS ROMAE TOPOGRAPHIA ALTI VADI
ASSERVATA

Bibliothecas nostras, quamquam libris medii aevi manu scriptis abundantes, codicibus Latinis opera auctorum antiquorum continentibus aequè atque fontes ad historiam Romae veteris exhibentibus propemodo carere inter omnes constat. Quapropter memoratu dignus nobis apparet rotulus quidam topographicus bibliothecae olim monasterii Altovadensis (Vyšší Brod),¹ tametsi non tanti sit, ut in magna codicum topographicorum alibi exstantium copia insignem quandam locum sibi vindicet.

Est rotulus membranaceus saec. XIV exaratus, CLXXII signatus, qui primum a P. Raphaelae Pavel, monasterii Altovadensis subpriore et bibliothecario, descriptus est.² Nunc e duabus partibus constat, sed, cum saeculo XIX in catalogum inferretur, partes etiamtum consutae erant.

Rotulum totum una tantum manus scribae, ut videtur, satis periti exaravit nulla lacuna post primam partem, quae est de indulgentiis, et ante alteram, quae in topographia urbis Romae versatur, relicta, qua de causa, quamvis topographia vera et propria imprimis ad nos pertineat, ne prima quidem pars negligenda est.

Pars prima initium capit titulo *Incipiunt omnes indulgentie sancte Rome*, qui minio exaratus in capite rotuli perspicitur, et desinit verbis *Aliis autem diebus de hedomoda (!) debemus esse ad sanctum Petrum apostolum ad videndum sudarium, id quod demonstratur die Marcii (!) et die Iovis et die Veneris et die Saboti (!) usque ad noctem*. Sub titulo supra indicato enumerantur primum indulgentiae ecclesiis quibusdam urbis Romae adnexae, et quidem ordine qui sequitur: *Ad ecclesiam sancti Petri apostoli, Ad sanctum Paulum apostolum, Ad sanctum Iohannem de Laterano, Ad sanctam Mariam Maiorem, Ad sanctum Laurentium extra muros, Ad sanctum Sebastianum martyrem, Ad sanctum Anastasium martyrem, Ad sanctam Mariam de aqua³ salina, Ad sanctam Mariam rotundam,*

Ad sanctam Crucem in Ierusalem; deinde indicatur, quo die quadragesimae et qua in ecclesia indulgentiae singulae obtineantur.

Is, qui hunc textum compilavit (non scribam dico), Silvestrem papam ipso in initio laudat dicens *Beatus Silvester papa assignavit in cronica sua*... et iterum in parte topographica (§ 8) idem beatus Silvester dicitur decrevisse, ut templa pagana destruerentur, quae res ex aliis medii aevi topographiis nobis non innotuit. Quo plus credendum est partem primam, quae est de indulgentiis, et alteram ad topographiam pertinentem nexu quodam artiore coniunctas esse, quam primo obtutu apparere possit. Nihilominus, Silvester hic nominatus qui sit, ignoramus, nam tres papae eius nominis exstiterunt, sed nullum opus historicum sub nomine Silvestris ad nos, quod sciamus, pervenit, nedum decretum quoddam de templis destruendis.

Attamen Historias eius non finxit, ut videri potuerit, compilator rotuli nostri, nam eundem fontem memorat etiam codex Bibliothecae Universitatis Pragensis 32 L 15, in quo fol. 36^r verbis *Sanctus Silvester papa scribit in cronica sua tractatus de indulgentiis et stationibus urbis Romae* incipit. Ea vero, quae in codice Pragensi plurimis foliis (36^r—58^v) latius perscribuntur, in rotulo nostro in breve quoddam summarium redacta sunt, id quod ad fontem communem utriusque textus referendum esse videtur.

Hoc tamen differt codex Pragensis, quod nullam topographiam urbis adiungit, cum in rotulo Altovadensi post indulgentias topographia vera et propria subsequatur verbis *Nota, quod Orosius scripsit ad sanctum Augustinum, quod a mundi creacione*... incipiens. Continetur igitur paragrapho prima brevissima quaedam epitome e Historiis Pauli Orosii ad Aurelium Augustinum scriptis excerpta,⁴ ita tamen succincta, breviata, insuper erroribus scatens, ut eam vel ex alia qualibet historia medio aevo composita fluxisse facile dixeris. Post illud summarium eadem paragrapho memorantur moenia Romae. Paragraphi sequentes singulis monumentorum et rerum memorabilium generibus dedicatae sunt, nempe portis (§ 2), arcubus (§ 3 et 4), palatiis (§ 5), montibus (§ 6), coemeteriis (§ 7), templis (§ 8 et 9). Paragrapho ultima (10) legitur epitaphium Iulii Caesaris.

Topographia haec primo obtutu famosa illa Mirabilia Romae redolet, et quidem redactiones recentiores,⁵ quibus etiam Martinus Polonus usus esse videtur, cuius in libro *Chronicon imperatorum et pontificum Romanorum*⁶ primum brevis quidam conspectus historiae et deinde topographiae Romanae inducitur textui nostro assimilis.

Textus vero rotuli nostri multo brevior est quam Mirabilium, insuper erroribus inquinatus, praeterea paragraphi alio quodam modo atque in Mirabilibus ordinantur, ut ex hac comparatione numerorum elucet: Rotuli § 2 — Urlichs 2—4, Jordan 4; § 3 — Urlichs 8, Jordan 5; § 4 — Urlichs 8 (pars altera); § 5 — Urlichs 7, Jordan 8; § 6 — Urlichs 5, Jordan 6; § 7 — Urlichs 11, Jordan 12; § 8 — Jordan 22 et 23;⁷ § 10 — Urlichs 13, Jordan 20. Post ea, quae iam supra expo-

suum, non tam mirum apparet totam paragraphum nonam alio ex fonte sumptam esse atque e Mirabilibus; agitur enim de edicto Silvestris papae ad templa destruenda spectante. Simili modo alias quoque res compiler noster ex aliis fontibus hausit, ut in fine rotuli, de quo videas infra, et sententias et voces singulas addidit easque non semper e libris scriptis, sed nonnumquam e memoria petitas. Nonnulla horum additamentorum clericum vel monachum, ut videtur, produnt, qui sua sponte voces sibi ex usu quotidiano bene notas usurpavit. Exempli gratia cum de Petro „Domine, quo vadis?“ dicente narraret (§ 2), addidit responsum Iesu „Vado Romam iterum crucifigi“; simili modo ad participium *plorans* (§ 4) adiungit *dolorose et amare*.

Quo modo monumenta Romana in rotulo tradita sint, in portis paragrapho 2 memoratis demonstrabimus. Initio dicitur portas principales XVII esse, sed re vera numerus earum multo minor evadit. Sunt autem hae: 1. *Campania* (id est Capena) *que nunc dicitur porta Pauli*; (Appia omittitur, sed de ecclesia *Doquine quo vadis* nuncupata narratur); 2. *Latina*; 3. *Ametroni* (i. e. Metroni, Mitrovi); 4. *Asinaria Lateranensis*; (desunt Lavicana, Taurina, Numentana, Salaria); 5. *Pinciana*; (desideratur Flaminea); 6. *Collecta* (i. e. Collina). Sequuntur deinde tres portae trans Tiberim sitae: 7. *Campania que nunc dicitur Septimiana* (alibi solum Septimiana vel Septimana occurrit); 8. *Aurea*; 9. *Portuensis* (sic errore pro Portuensis). Postremo tres portae in porticu sancti Petri enumerantur, id est 10. *porta Castelli que nunc dicitur porta sancti Angeli*; 11. *Viridaria* (i. e. Viridaria); 12. *Pirtusii* (id est Pertusa, de qua vide aliam redactionem Mirabilium, Urlichs p. 143, cum in classe Urlichsii tertia duae tantum portae in porticu inducantur).

Multa ideo insunt, quae etiam in Mirabilibus reperiuntur, sed compiler in textu scribendo maxima libertate usus est, quod non solum ad rem tractatam spectat, verum etiam ad Latinitatem eius parum elegantem, interdum immo barbaram (cf. e. g. *rostra avium* pro *navium* § 8, *vultus* pro *vulgus* § 10, cetera videas infra). Quas proprietates scriba rotuli nostri diligentissime servavit, textum consulto, ut videtur, non emendans, fortasse ne errores in laterculum indulgentiarum irreperent. Copiam enim, non exemplar genuinum in rotulo nostro perspicendum esse testatur et forma rotuli apud nostrates minime usitata et menda nonnulla non nisi describendo explicanda, ut *vis* pro *ius* (§ 4), *vilia* pro *Iulia* (§ 10), *in senitate* pro *serenitate* (§ 8), *templa* pro *tempora* (§ 9).

Exemplar genuinum compositum est ab homine linguae Latinae parum gnaro, immo, ut ita dicamus, illiterato, cuius stilus linguam vernaculam, Italicam potissimum, valde redolet. Primum quod pertinet ad orthographiam, *ab imperatore Octaviano* (§ 2) scripsit, cum ipse fortasse modo Italico vocem illam *Ottaviano* pronuntiaret, porro *alicui* pro *aliqui* (§ 3), *Prissilla* pro *Priscilla* (§ 7), ut iam litteram *h* falso adhibitam vel contra neglectam omittamus. Casus persaepe falso positi vel perturbati sunt, ut *iuxta castrum vel templi Adriani* (§ 2), *cum illo iuvenis* (§ 4), *iuvenis isto* (§ 4), *palacium Remus* (§ 5), *sepulcrum omni*

gentium (§ 8), *imperat orbem* (§ 10); accusativus pro nominativo usurpatur (*qui occisum est* § 4, *illam imago* § 5, *statuam Martis reperitur* § 8, *portam fuit* § 8), quoniam litteram *m* non pronuntiabat, et ideo in fine vocis saepe omittebat (e. g. *ad urbem condita* § 1, *fac michi racione* § 4) vel, ut illis locis, perperam ponebat; nonnumquam genus substantivorum et pronominum confusum est (*supra illud lapidem* § 10, *cinis ipsa* § 10); numerale *unus* pro *quidam* vel omnino superflue adhibetur, ubi in linguis Romanicis articulum exspectaveris (*unus longus et mirabilis lapis* § 10, *unus pomus ereus et deauratus* § 10). In genitivo substantivorum declinationis tertiae *-es* pro *-is* occurrit (*omnis urbes* § 1, *dicte mulieres* § 4); idem fere invenimus in tertia singularis perfecti (*accesset* pro *accessit* § 4, *iussit* pro *iussit* § 9). Apparent etiam constructiones valde singulares, quarum similes in linguis Romanicis, Italica praecipue, facile invenies (*ortu habuerunt* § 1, *cum imperator Troyanus esset in curru eundo pugnaturus* § 4, *mulier fit videndo* § 4). Eadem fere menda in Latinitate Leonis Archipresbyteri saec. X in Italia florentis invenit Fr. Pfister.^{7a} Auctor igitur noster, ut videtur, primis mediæ aevi saeculis potissimum vixit; si summo medio aevo floruisset, homo plane illitteratus fuit.

Ne multa, proferamus iam totam paragraphum quartam, ubi (excepto fortasse paragrapho prima) plurimae proprietates id genus inveniuntur:

Rotulus Altovadensis § 4

Sunt alii arcus triumphales et non memoriales, videlicet arcus Pietatis ad sanctam Mariam rotundam, in quo cum imperator Troyanus esset in curru eundo pugnaturus, venit quedam mulier et accessit ad pedes suos, plorans dolorose et amare, dicens: „Domine mi et sancta iusticia, antequam tu vadas, fac michi racione.“ Cumque promississet plenum ius fecisset in reddito suo, et mulier ayt:

„Domine mi, habebam unicum filium meum, qui occisum est a filio tuo.“ Imperator vero Troyanus ad hac vere respondidit: „Moriatur omicidia et amplius non vivat!“

Cumque duceretur ad mortem filius imperatoris et mulier fit videndo, subito ayt: „Amore Dei tradatur michi iuvenis isto loco filii mei, et sic erit

Urlichs § 8 (p. 129)

Sunt praeterea alii arcus qui non sunt triumphales sed memoriales, ut est arcus Pietatis ante sanctam Mariam rotundam, ubi cum esset imperator paratus in curru ad eundem extra pugnaturus, quaedam paupercula vidua procidit ante pedes eius, plorans et clamans:

domine, antequam vadas mihi facias rationem.

Cui cum promississet in reditu facere plenissimum ius, dixit illa: forsitan morieris prius. Imperator hoc considerans praesiliit de curru ibique posuit consistorium. Mulier inquit, habebam unicum filium, qui interfectus est a quodam iuvene. Ad hanc vocem sententiavit imperator: moriatur, inquit, homicida et non vivat. Moriatur ergo filius tuus, qui ludens cum filio occidit

michi recompisacio. Alioquin fateor me plenum vis humiliasse.“ Quod factum est. Accessit ad imperatorem cum illo iuuenis et dominus imperator bono corde tradidit sibi filium suum cum omnibus rebus suis ipsius iuuenis loco filii dicte mulieres.

ipsum. Qui cum duceretur ad mortem, mulier ingemuit voce magna: reddatur mihi iste moriturus in loco filii mei, et sic erit mihi recompensatio, alioquin numquam me fatear plenum ius accepisse. Quod et factum est, et ditata nimium ab imperatore recessit.

Cum in hoc exemplo tum alibi nonnumquam sensum verborum vix eliceremus, nisi alius textus nobis praesto esset.

Quod ad rem attinet, nihil fere novi ad topographiam urbis Romae cognoscendam rotulus praebet. Attamen epitaphium C. Iulii Caesaris in ipso rotuli fine perscriptum (§ 10) dignum est, quod paulo amplius tractetur.

Paragraphus haec inducitur etiam in Mirabilibus,⁸ sed codices vetustiores epitaphium aliud atque nostrum⁹ et recentiores duos tantum versus exhibent, scilicet v. 3—4,¹⁰ cum carmen totum sex versibus constans praeter rotulum Altovadensem in uno tantummodo codice, scilicet Monacensi saec. XV Clm. 14511, fol. 10^r, inveniatur.¹¹ Hoc excerptum Monacense *Sepulcrum Iulii Caesaris* inscriptum cum aliis operibus in codice asservatis minime cohaeret et nulli topographiae adiungitur: originem vero trahit sine dubio ex eodem fonte ac rotulus noster, quod etiam Orosius ante partem alteram excerpti memoratus confirmare videtur (altera enim pars excerpti auctoritate Orosii freta annos a mundi creatione, ab eversione Troiae etc. usque ad urbem conditam praebet).

Ut epitaphium recte intellegatur, verba etiam, quae praecedunt, inducamus necesse est:

Rotulus Altovadensis § 10

Item iuxta sancti Petri est unus longus et mirabilis lapis quadratus,¹² qui in vulgario eloquio dicitur aquas. Et in illo medio supra illud lapidem est unus pomus ereus et deauratus et ibi sunt ossa Caesaris, Rome primi imperatoris. Unde versus:

*Mira sepultura fuit Caesaris alta columpna,
aurea concha nitet, qua cinis ipsa latet.*

*Si lapis est unus, dicas, qua fuit arte levatus,
si sint plures, dic, ubi congeriesque.*

Tota fuit vilia, sed vultus dicitur agulla.

Quatuor hic annis, sed mensibus imperat orbem.

Excerptum Monacense (pars prima)

Sepulcrum Iulii Caesaris

Item Rome apud sanctum Petrum est quidam magnus lapis quadrangularis mire altitudinis et magnitudinis, positus super quatuor ereis nucibus, in summitate habens globum ereum deauratum, in quo posita sunt ossa Iulii Caesaris. Et est satis mirabilis sepultura. Unde versus:

*Mira sepultura fuit Caesaris alta columpna,
aurea concha nitet, quia cinis ipse latet.
Si lapis est unus, dic, quia fuit arte levatus,
sed si sint plures, dic, ubi congeries.*

Et iterum:

*Dicta fuit Iulia, sed vulgus dicit agvilla.
Quatuor hic annis, sex mensibus imperat orbi.*

Epitaphium sic restituendum esse arbitramur:

*Mira sepultura fuit Caesaris alta columpna,
aurea concha nitet, qua cinis ipse latet.
Si lapis est unus, dic, qua fuit arte levatus,
sed¹³ si sunt plures, dic, ubi congeries.¹⁴*

*Dicta fuit Iulia, sed vulgus dicit agullia.¹⁵
Quatuor hic annis, sex mensibus imperat orbi.*

Epitaphium Caesaris nullum nobis a veteribus traditum est; nam quod apud Suetonium legimus (Divus Iulius 20. 49. 51. 80), versus varii sunt plerumque in triumpho recitati, non epitaphia in mortem imperatoris composita. Epigrammata huius generis medio demum aevo florebant — novimus epitaphia non solum virorum in historia clarorum, ut Alexandri, sed etiam heroum, ut Hectoris et Achillis. Nil igitur mirum, quod etiam Caesar similibus versibus medio aevo honoratus est. Praeter ea, quae iam e Mirabilibus protulimus (*Caesar tantus eras... , Si lapis est unus... .*), alia quoque epitaphia duo (*Vase sub hoc modico...¹⁶, Ille hic magnanimus...¹⁷*) offerre possumus; aliud carmen (*Caesar ad imperium...¹⁸*), num epitaphium fuerit necne, non liquet. Quibus Caesaris epitaphiis adiungendum est nunc hoc epigramma Altovadense, cuius originem mediaevalem etiam forma versuum leoninorum comprobatur.

NOTAE

¹ Libri Alti Vadi asservati nunc a bibliotheca publica Budvicena (Okresní knihovna v Českých Budějovicích) administrantur, cuius moderatoribus grates debitas agimus, quod eorum beneficio et aditus ad thesauros Altovadenses nobis patefactus est et rotulus deinde Pragae missus commode a nobis conferri potuit. Nec minorem gratitudinem debemus laboratorio artis phototypicae Bibliothecae fundamentali Academiae scientiarum Bohemoslovenicae adnexo, quod nobis imagines rotuli lucis ope pietas summa cum diligentia confecit.

² Beschreibung der im Stifte Hohenfurt befindlichen Handschriften, in: Die Handschriften-Verzeichnisse der Cistenciensier-Stifte II, Wien 1891, p. 220.

³ Errore scriptum *qua*.

⁴ Migne, Patrologia Latina t. 31, col. 663—1230.

⁵ Cf. H. Jordan, Topographie der Stadt Rom im Alterthum II, Berlin 1871, p. 360 sqq.; textum Mirabilium invenies p. 607—643. Interdum praeferimus editionem C. L. Ulrichsii, Codex urbis Romae topographicus, Wirceburgi 1871, p. 126—133, id est tertiam classem quae vocatur, ubi multa inveniuntur, quae Jordan omisit, sed rotulus noster praebet. Valde dolemus editionem recentissimam Codicis topographici a viris doctis Valentini et Zucchetti procuratam nobis praesto non fuisse.

⁶ Cf. e. g. codicem ipsius monasterii Altovadensis 101, saec. XV, fol. 1 sqq.

⁷ In tertia classe Ulrichsii non invenitur, solum in redactione vetustissima p. 107, § 23.

^{7a} Der Alexanderroman des Archipresbyters Leo, Heidelberg 1913 (Sammlung mittellateinischer Texte 6), p. 34—35.

⁸ Ulrichs p. 105 et 131, c. 13; Jordan p. 625, c. 20.

⁹ *Cesar tantus eras* incipiens, quod vero ad imperatorem quendam Germanicum, sive Lotharum sive Henricum II sive potissimum III referendum est. Cf. Ulrichs, p. 105; Jordan, l. l. De codicibus praeter Mirabilia ef. II. Walther, Alphabetisches Verzeichnis der Versanfänge mittellateinischer Dichtungen, Göttingen 1959, n. 87.

¹⁰ *Si lapis est unus* incipiens. Cf. Ulrichs, p. 132; Jordan, l. l. cum adnotatione.

¹¹ Cf. H. Walther, l. l., n. 11 073.

¹² Est obeliscus antiquitus in circo a Caligula inchoato, a Nerone aucto situs, postea in mediam plateam ante basilicam s. Petri translatus; in summa columna globus quidam aereus hodie etiam perspicitur, in quo cinis Caesaris depositus esse medio aevo credebatur.

¹³ et Ulrichs et Jordan.

¹⁴ *contigui* Ulrichs et Jordan.

¹⁵ *Agulia* in Mirabilibus scribitur (*memoria Caesaris, id est agulia*), qua voce hic obeliscus medio aevo et lingua vernacula (cf. etiam hodie Italicum *aguglia* „obeliscus“) et lingua Latina, et quidem non solum Romae, sed etiam alibi appellabatur (cf. Mittellateinisches Wörterbuch, Band I, Lieferung 3 [Berlin 1960], col. 414 s. v.).

¹⁶ Walther, l. l., n. 20 048.

¹⁷ Burmannus, Anthologia Latina I, Amstelaedami 1759, lib. II, epigr. 63; A. Riese, Anthologia Latina, Lipsiae 1868, n. 847.

¹⁸ Riese, l. l., n. 848.

